ranslatio

m

, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang.

In Festo Epiph.

com.

sequ.

com.

27 Sabb

[redacted]

10 | 15 C. | 15
10

5 0
5 0

Ausgenommen
und nicht fort-
gehalten

# PRÆSCRIPTIO
## Fatorum Contraria Decretis,
JURE
Magnarum Virtutum & Meritorum
GLORIAM IMMORTALEM
*Perillustris olim & Reverendissimi Domini,*
# D. ANDREÆ KRUPECKI,
U. J. Doctoris & Professoris, Ecclesiarum, Cathedralis Cracov: CANONICI, Prymykoviensis CURATI, Almæ Vniversitatis SENIORIS PATRIS, Contubernij Iurisperitorum PROVISORIS, VIRI de Republica literaria MERITISSIMI
## EVINCENS.
Dumq; Magnis Ejus Manibus justa Parentalia in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi *cum ingenti Ordinum Academicorum mærore* persolverentur,
dolenti calamô
Per M. CASIMIRUM STANISLAUM PAŁASZOWSKI,
*Philosophiæ Doctorem, Tylicianum Professorem, Collegam Vocatum Majorem, Contubernij Iagelloniani Seniorem,*
secuturæ Posteritati
## INTIMATA,
*Anno Verbi Æterni contra mortis jura præscribentis* 1725. *Die* 30. *Aprilis.*

CRACOVIÆ,
Typis Viduæ & Hæredum Francisci Cezary, S. R. M. Ordinarij Typographi.

# PRÆSCRIPTIO
## Fatorum Contraria Decretis.

QUousq; tandem Fata atrocissima!
Vestrum non licebit declinare Forum?
*Quidquid placet, agere licet.*
Quemcunq; peremptoriè citatis, perimitis.
Tempus omne diem juridicam habetis.
Horam quamlibet causis idoneam assignatis.
Momentô ad monumenta truditis.
Primus Citationis terminus intimatur,
ultima sententia vitæ declaratur.
Ah miseram mortalium sortem!
Nullum fata Processum juridicum formant,
omnes inevitabili mortalitate damnant.
Monitorium non mittitur, adimitur vita.
Quo tempore fatalis decreti publicatio,
eodem executio adimpletur.
Iudices Minoe vel Radamantô rigidiores
nec prece nec pretio flectuntur.
Arboris interdictæ folia,
in paginas cesserunt Libitinæ.
Stylô ferreô characteres scribit,
in exilium perenne proscribit vitam.
Quolibet puncto, lethaliter pungit.
Quolibet inciso vitæ stamina scindit.
Qualibet litera obliterat, etiam Literatos.
Cæcum Numen!
Delectum Personarum non videt.
Grassatur in omnes.

Illu-

Illustres craſſis tenebris involvit.
Magnos diminuit, humiliat Eminentes.
Atlantes in Pumiliones,
Lucios in tenebriones transmutat.
Quos Orbis vaſtiſſimus capere non potuit,
Trium cubitorum urna ad capiendũ parvos habuit.
Qui magnis dabant jura Quiritibus
ſub ſervile abivêre jugum.
Qui Orbi ſuis nutibus imperabant,
in jus alienum ceſſerunt.
Deponunt Triregia, Fatorum regimini ſubſunt.
Purpuratis admoventur Rotis,
à vitæ curriculo ceſſant.
Formata in orbem Coronarum rotunditate
Circulo æternitatis invehuntur.
Bipartito hiantibus vertice approximati Infulis,
non alienantur lethô,
Sceptra mutantur in ſpectra.
Athenienſium Areopago diſpar Lacheseôs Forum;
Ibi lumine amoto peragebantur judicia,
hîc craſſiores Cymmerijs tenebræ inducuntur.
Ad terſum Themidis mucronem
Ibi fulgor nictitare faciebat oculos,
ne videretur delectus;
hîc in æternam clauduntur lumina noctem.
Telum acutum falx adunca
rectè nunquam procedit, obliquè feriens,
neminem tranſit.
Et vitæ florem ſuccidit, & aciem
hebetat oculorum,

 Vtrum-

Vtrumq; rogo destinat fatali.
Simul oculîs, simul auribûs deficit Libitina,
Gemmas cordis lachrymas non cernit,
quæ
*interdum pondera vocis habent.*
Instantiam non audit, qua valeat placari.
Surdo fabulam narrat, qui supplicat morti.
Osseum illa monstrum & aridum
Vt benè procedat actio, munera non prosunt.
Tribunal omnino supremum,
Ad altiùs subsellium appellatio nulla.
Iuris beneficium nemini suffragatur.
Vna Iurisdictio, cui omnes parere decet.
Lex una lata, neminem exlegem facit.
Siccine jam morti contrarium nihil?
*Saxis ipsis longa senecta nocet.*
Siccine quod statutum semel,
nulla Præscriptio immutabit?
Siccine Fatorum sententiæ latæ, delentur nunquam.
Fateor
Ius absolutum mors habet in mortales.
Omnes homines humare potest,
sed non illas,
quæ sunt hominum actiones.
Clara Divûm Propago Virtus
fatalibus umbris involvi nequit.
Pallas Soboles carissima Jovis
Calamis, quos ad galeam gerit, præscribit morti.
Suam hastam lethifero opponit telo,
Cul-

Custores literarum defendit.
Semper licita à Fatorum sententia appellatio,
ex Palladiano sensu.
Imo
mortis rei homines, Actores fiunt
inevitabilibus contrariantur Decretis.
Conformes Musis.
Silet omninò Libitinæ forum
dum Virorum merita vocalia sonant.
Intimo posteritati veriora.
Valet contra Fata Præscriptio omnis,
quæ optimo jure
Magnarum Virtutum & meritorum
gloriam immortalem evincit.
Hæc Præscriptio,
In Te suum jus omne firmat
*Perillustris olim & Reverendissime Domine,*

# D. M. ANDREA KRUPECKI,

V. I. Doctor & Professor,
Ecclesiarum, Cathedr: Cracovien: Canonice,
Prymykoviensis Curate,
Almæ Universitatis Senior Pater Meritissime,
Senium Tuum pulcherrimum Mors ipsa venerata,
Immortalem gloriam
Advitalitio Tuorum meritorum jure comparatam
nunquam est ausa temerare.

Iure suo Te immunem absolvit.
Cessio à Te de Corpore mortalitati facta,
Contra Fata Præscriptionem firmat,
Quam adhuc ANDREAS
in tenera roborasti ætate.
Cunis suo lumine Illustribus prodijsti in lucem.,
Phæbeæ luci vitâ Tuâ non dissimilis.
Claram Lucinam, ut Auroram
mox Scholasticus secutus Phæbus.
Quô
Natalium claritati majorem affudisti splendorem.
Lactis candor Te statim fecit magnarum Candidatum virtutum,
Vt scires juridico Processu
Fatorum præscribere decretis,
Nunquam aliter
Nisi de virtute in virtutem processisti.
Ingressus Olympia Studiorum,
semper ad metam perfectionis collimabas.
Pro puerilibus crepundijs, ludum tenuisti literarium,
Quanquam videbaris pueritiâ carere
Summam in moribus maturitatem præferendo.
In Cracio Regni Archilycæo
Regijs Musis Indolem,
Bonarum artium capacissimam devovisti.
Rector Literatorum futurus.
Ex sensu Themidis Polonæ locuturus Oracula,
Tibi fatidicum Apollinem domesticum faciebas.
In Archivum mentis Tuæ
Ex Castalijs Tullianisq; Fontibus
hos

hos eruditionis collegisti uniones,
quibus aliorum locupletares egestatem.
In doctæ Palladis Arena
hostis animorum ignorantiæ
Victor ANDREAS
Philosophicis laureis coronatur.
Decuit certè in fronte hujus florere corymbos,
qui eas docto irrigabat sudore.
Decuit Eum circularibus redimiri coronis,
qui nunquam centrô probitatis excessit;
Qui in coronam aliorum cessurus erat.
Non occultârunt laureæ umbræ ingenium
claro lumine eruditionis circumfusum.
In Majoris Poloniæ Posnaniensi Academo
Illius pulcher enituit splendor.
Hoc est
sub triumphali Musarum signo Lubransciana Pinu
Professoris doctissimi,
laboriosæ lucubrationes non latebant.
Colonias illas Craciæ Minervæ incolendo
totas Capite circumferebat Athenas.
Humaniora studia in Divina mutabat.
Sedulam Cursui Philosophico operam navans
par visus fuerat Stagyritæ.
Citiùs Gordios difficultatum nodos
Mentis acumine resolvebat, quàm poterāt evenire.
Par tamen in hoc Aristoteli non dicendus,
Quod illi solus Alexander sufficiebat Alumnus;
KRUPECCIUS doctissimus CHIRON,

 semper

ſemper ſelectam frequentiam habuit,
Generoſiſſimos Polonos Achilles.
Ex Majori Polonia in Minorem rediјt,
ſed nihil de magno remiſit labore.
Calvus Mons in Palatinatu Sandomirienſi ſitus,
altitudine in Polonia celebris,
Abbatiâ Benedictinorum in jugo poſitâ celebrior,
CRUCIS Sanctæ veneratione celeberrimus;
quàm ſublime fuerit ingenium ejus
in Philoſophica Cathedra conteſtatur.
Triennio tantùm Montis hujus incoluit Parnaſsū
illum Muſarum & Palladis Philoſophicæ
perpetuum fecit domicilium.
In tam arduo colle
viva voce ac eruditione plana
nihil arduum in arcanis Ariſtotelicis reliquit.
Nullus Theſeus ambagibus difficultatū innodatus,
in Labiryntho Theſium poterat eſſe,
quia in rectam quemlibet viam
doctiſſimorum argumentorum filo dirigebat.
Nulli Logica habebatur caligo,
Ejus Phœbeo ſenſu illuſtrata.
Inter Phyſicas Metaphyſicaſq; rerum eſſentias,
totus ipſe cùm fuerit Anima,
Omnem Auditorem fecit Intelligentiam.
Mētibus Deo cōjūctiſſimis & Cælo vicinioribus,
Sacræ ſcilicet Benedictinorum cohorti,
locutus eſt ad cor in ſolitudine
ſine omni ſolicitudine mordaci.

Per

Per publicas Disputationes,
quoties doctos instituerat conflictus,
toties virentes palmas referebat,
Sui Capitis in coronam.
Triumphalibus non egebat Arcubus,
Mons ipse altitudine sua
pulchris sine cæde obtentis applaudebat triumphis.
Quinimo
In hoc Montis culmine
Quãdiù Benedictina sanctitatis & sapientiæ gloria
Cælum vertice tanget;
Felices KRVPECCII literario operi impensæ curæ
intra Sacram Eremum vocalem habebunt echonem.
Quamdiù imbriferæ nubes montis colles ferient
Nominis ejus famam facient illæsam.
Redditus Cracio feliciter Parnasso,
ubiq; ingenió sublimis non elatus.
ubiq; præcellentibus & magnis qualitatibus suis,
etiam Viris Principibus & Magnatibus cõmendatus.
Supremus Regni Poloniæ Cancellarius,
qui sine dulcedine animi memorari non potest
*Illustrißimus olim & Excellentißimus Dominus,*
IOANNES WIELOPOLSKI,
Regium Os & Patriæ Vox tota gratissima,
cultissimarum mentium Lydius lapis,
æstimationem KRVPECCIO nõ negavit omnẽ,
cujus directioni
Illustrissimam Prolem ad amussim Palladis formandam,
Cordis sui Cimmellia censuit concredenda.
Patriæ bono nata Indoles,

C suum

ſuum nacta Argum centoculum,
qui egit vigiles & inſomnes curas,
ut ſecuriùs cum ingenti profectûs creſceret augmento,
ad ſuæ Domûs maximum decus.
Excellentiſſima Aquilæ Sarmaticæ Soboles
luci publicæ allatura fulgorem,
Ei Phæbeo ingeniô prælucebat.
Habet gemma extra aurum pretium,
in auro pretioſior.
Novennarius Muſarum Chorus
pulchrè in collibus biverticis eminet Pindi,
pulchriùs cum ſuo Cytharædo Apolline
in pretioſo Annulo Pyrrhi.
Meritiſſimi Honores ANDREÆ
ſuâ ſemper excellentiâ gaudebant.
Sed Domui Minori
totius Univerſitatis Virorum Seminario,
per Proceres Regni Literarij cooptatus,
Magnitudinem Animi facile retinuit,
ſeu potiùs
inter Minores perfecit Collegas.
Maxima utiquè minimis juvantur,
ex atomis tumuere montes.
Nactus Collegij Minoris profeſſionem,
magnis laboribus intenſior factus.
Ornavit Spartam ſibi concreditam,
fecitq; ſuis meritis majorem.

Are-

Arenam Philoſophicam nunquam docto non rigavit ſudore,
ex qua auream gloriæ meſſem colligebat.
Quæ alibi optimè perfecerat,
hîc qua publicè, qua privatim, quæ nunquam intermiſerat,
doctiſſima reaſſumpſit certamina,
ſemper animô Victor.
Protenſo argumentorum filô,
ſic aliorum ligabat ſenſus,
ne à veritatis ſenſu diſcreparent.
Forma illi argumentandi
niſi in Directo placuit modo
ut nunquam à rectitudine doctrinæ recedere videretur.
Profundo Aquinatici Maris,
quoties cymbam ingenij commiſit,
portum tenuit fortunatum.
Thomiſticus Titan,
etiam in pectore ejus videbatur fixam ſtationem habere.
Verior in Oratorijs Exedris Pericles,
ſive Sacro, ſive Politico tonabat ore,
utroq; Audientium expectationi reſpondebat.
Malos fulmine dictionis feriebat,
ne æviternè ferirentur monebat;
bonos in perfectione vitæ retinebat.
Verbum DEI ſemen quoties ſpargebat,
ſemper in optimum cadebat agrum
copioſiſſimum fructum allaturum.
Promebat ab ore roſas Demoſthenes,
ſed quæ etiam aculeis non carebant,
quibus compunctionem cordis
in animis Pænitentium efficiebat.

Verba illi ad mollitiem non defuerant truncata,
quibus duriora Marpesia caute
peccatorum emolliebat corda.
Non erat ANDREAS Mellifluus BERNARDVS,
sic tamen influebat in animos,
ut nemo talis fuerit,
qui dulcedine sermonis ejus non posset capi.
Pretio Sangvinis CHRISTI
á servitute perenni redemptæ Animæ
avidè semper dictionis ejus colligebant gemmas,
cum quibus æternitatis annulo insererentur.
Tantus Verbi Divini Prædicator,
in primo Prædicamento ponendus.
Sacris Exedris intentus,
in Statione Academica nunquam Stationarius.
De Pòëtarum Principe Homero
Græci & Athenienses certabant;
KRUPECCIUM utrumq; Majus Collegium,
suum Incolam dicere exoptat.
Cathedræ, Oratoriæ Tullium,
Philosophicæ Aristotelem & Platonem volebant;
Diva Astræa sui propositi tenax
Consum sibi poscebat.
Sed evasit Victrix gladió armata Themis.
Decuit enim
ut ille, qui multos ad justitiam erudiebat,
justitiæ inhabitaret Augustale,
Gloriæ Immortalis perpetuam lucem habiturus.

Vrge

Urge Calame motus Oratorios!
Iuridico Collegio emeritus admotus Professor.
minimè à laboribus quiescit.
In Majorem Poloniam iter reassumit gloriosum.
Ab Alma Universitate destinatus,
Coloniæ Posnaniensis dignissimus Director.
Scivit optimè Lubransciano præsidere Parnasso,
Doctissimus Apollo,
in quo priùs & Professor & insignis Philosophus clarebat.
Nūquam certè meliùs scit aliis præesse, quàm qui subesse novit.
Nullum ibidem prætermiserat Mensem,
qui Ejus non mensuraretur laboribûs.
Nullum diem; quam clarâ non serenaret doctrinâ.
Nullam voluit fluere horam,
quæ ipsi grata pro bono Coloniæ non fuisset mora.
Cujusvis Anni à puncto ad punctum circulum,
illam volebat fieri rotam.
quâ ipsa constantissima fortunæ
ad Augustos Musarum Lares veheretur.
In Professorum aliorum labores gessit Argum,
sed & suos centum luminibus respiciebat.
Nemini ullum commendabat onus,
cui ipse priùs
Atlanteos non admovisset lacertos.
Ibant suo ordine Lectiones,
& sua labores pensio non fallebat.
Curavit Scholasticam diligentiam,
procurabat & justos meritis census.
Cultam in toto Posnaniensem Coloniam,
usquè ad omnem excoluit stuporem.

Quæ imitarentur alij
ingentia reliquit exempla, pulcherrima documenta.
Sibi meritisq; suis
fructiferam sapientiæ Lubranscianam Pinum
in triumphalem Arcum sinuavit.
Peraugusta Cathedralis Posnaniensis Ecclesiæ
Prælatorum Majestas,
ægrè illum dimittebat Directorem,
à sua literarum Provincia,
quam felici prudentiq; regimine
florentissimas effecerat Athenas.
Multorum Principum Virorum & Magnatum
affectus effusissimi tenebatur magnetismô,
ne Majoricas desereret Musas.
Redierat quidem ad fontem limpidissimum,
ex quo doctas hauriebat lymphas
Literatorum Nationem Vniversitatē Cracoviēsem,
sed non totus,
potiorem sui partem imaginem & amorem,
à Prælatorum cordibus, à Procerū animis, nō accepit.
Delphos Oraculorum ubiq; secum circumferens,
illis præcipuè Domi suæ
dicere volo
in Sacrario Iuris & senaculo justitiæ
Clarissimorum Jurisperitorum Collegio
clarere cæpit vocalissimè.
Intimabat Juris Canonici Civilisq; Regulas,
Ipse pulcherrima regula morum.
Legit Justinianum justo & æquo consonum,
omnem

omnem justitiæ adimplevit mensuram.
Tractavit jus Canonicum,
erat virtutum Canon exactissimus.
Theologiam Casisticã seu cõscientiæ dictavit casus,
quos ipse nunquam admisit.
Quo ad omnes Instantias legendo Processum
semper illum ad optimũ Audiẽtiũ formabat profectũ.
Ex Pandectis ipsa fermè pandebat Oracula.
Ex Decretalibus omnes contra virtutem damnabat excessus,
Decentes nimiùm ex Digestis,
unicuiquè gestus ingerebat.
Totum juris communis Corpus,
sic sua viva animabat doctrinâ,
ut iret in publicum Discentium usum.
Recurrrente aliquoties annuô Sole,
Utriusq; Juris laboriosissimus Professor,
in dies sibi gloriam geminabat.
Patrum annuente consensu,
quem tota Vniversitatis Comitia probârunt,
Lauream in Jure Doctoralem sumpsit,
quæ Ipsum,
rotunditate suâ ampliori laborũ Campo invehebat.
Sibi Doctoralis plaudebat Honor,
quod in magno Ternione Virorum
sese simul promoventium:
Ioanne Ekart
utinam diutissimè Literario superstite Regno,
Adamo Styrkowski
qui tertius promotionis ordine primus Libitinæ cessit,

 Andrea

Andrea Krupecki
nunc ad immortalem transeunte gloriam,
tres sibi evenire gratias numerabat.
Sed quis negabit?
sibi maximè Iuridicum plausisse Doctoratum,
quod perfectissimum in scientijs Virum
KRUPECCIUM fuerit nactus.
Præter professionem Cathedræ
continuus erat Judiciorum Assessor.
Ferebat illam sententiam,
quâ meliorem ipsa non diceret Themis.
Favebat Actoreæ parti, citatam nisi jure victam,
ream Decreti judicabat.
Extra Delphos Tripos aureus dicendus,
vel exinde,
quòd Illustrissimis LOCI ORDINARIJS
semper ad mentem esset.
CAPUT aurum optimum,
quod solam loquebatur justitiam,
& felicissima Patriæ meditabatur momenta.
Celsissimus olim PRINCEPS,
*Illustrißimus & Reverendißimus Dominus,*
C A S I M I R U S
à Łubna
Ł U B I E N S K I,
Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ,
sensus ejus Capiti suo

id est,

id est
veritati conformes probavit, æstimavit.
Trinæ tandem Vavellanæ Coronæ
accessit Vnio æstimatissimus,
solidâ eruditionê Adamas pretiosissimus
CANONICUS KRUPECKI,
Dignum opus Superi censuerunt ipsi,
ut longa laborum series & innumera merita,
tergeminâ compensarentur coronâ.
Peractîs ubiq; gloriosissimè
in arena literaria triumphîs,
decebat ut Polonum Capitolium ingrederetur Victor.
Decebat ut de Regia Pallade meritissimus
in hunc ascenderet locum,
qui Sedes est Poloniæ Regum.
Decebat ut in Cathedra Scholastica indefessus Professor,
Cathedralis Ecclesiæ Canonicus esset.
Decebat ut cooptaretur Magnorum Prælatorum numero,
& hoc occuparet subsellium,
quod Præsulum Seminarium Senatusq; dicitur,
qui pulcherrimum Virtutum ac Meritorum senium præferebat.
Vavellus meta honoris Canonico nostro,
sed non terminus laborum.
Quod Canonicum & Academicum concernebat,
alterutrum remissiùs gerere piaculum duxit.
Et Ecclesiasticæ, & Scholasticæ Cathedræ præsens,
ibi sacra munia, hîc literaria obibat.
JUDEX SURROGATUS
in Consistorij Cracov: Tribunali raró non sedit.
A mentis ipsius lance
totum Astreæ æquilibrium pendebat.



Tot.

Tollebat quisq; quod suum erat,
juxta adæquatam meritorum mensuram.
Præter rectefactorum & Virtutis causam.
nulla alia, bonum poterat sperare eventum;
Vitabant judicium Ejus vitia quævis.
Rarô exemplô
Almæ Vniversitatis sexdecem vicibus RECTOR,
ei semper felicissimas vices afferebat.
Iterum atq; iterum ANDREAS,
Sceptriferæ electus, Moderator Crucis,
magnarum in regimine curarum sentiebat dolores,
sed illîs, ut benè valerent, Musis remedia dabat.
Motus bellici & Aquilones,
qui totos Sarmaticos perflabant campos,
Iuventutis Academicæ florem ne impeterent,
vel illos reprimebat, vel in Favonios transmutabat.
Sic noverat cunctis occurrere malis,
ut prævisa pericula
vel minùs ferirent, vel aliò suam deponerent iram.
Nerva ille in Magistratu non fuit Rectorali,
sub quo in suum liceret enervari velle;
sed nec talis dicebatur,
sub quo solus dominaretur timor,
amore simul & timore præerat.—
Ejusdē Vniversitatis PROCANCELLARIATVS,
licet mole sua prægrande onus,
sine tamen molestia sufferebatur ab illo,
curis omnibus ijsq; anxijs
quæ, ad gradū Magisterij in Philosophia obtinendū Licentiaturas,
vel antecedunt, vel concomitantur,
nunquam sine facilitate fungebatur.

Lydio

Lydio examinis Lapide
Quorum probabat qualitates mentis,
eorum præmiabatur laborem.
Virtutem profectumq; in studijs,
gratis nunquam audire voluit & videre.
Sapientia divite mentis suæ thesauro,
sufficienter locupletabat omnes,
aliorum inopiæ, alias opes providebat.
Ad inclytas Scientiarum Facultates,
Selectiora Virorum subjecta
suîs facultatibûs promovebat.
Nec solæ Doctorandi facultates dabantur ab Ipso.
Amore boni Academici,
quem Virtus & Eruditio ad Laureas ducebat,
fortuna retardabat gressum,
illi suîs Aquilîs prævolabat,
& Aureis hastis sub hastam Palladis cogebat.
Dum Vires vivaciores permittebant tolerare labores
tribus supra decem annis
Generalis Universitatis Procurator,
se ultro omnibus ingerebat curis,
quæ utilitatem concernebant communem.
Innuuntur tantùm officia, quibûs fungebatur,
laudari & numerari non possunt.
O utinam officiô vitæ diutissimè fungereris,
Meritissime Universitatis Pater,
Literatorum Mecænas, Clientûm Protector,
indigentium Benefactor.
Supra calamũ sunt Tuæ Virtutes meritaq; ingentia,

in Ecclesia & Regno literarum.
Numerô annorum ultra octoagenarium gravatus,
seniô confectus, laboribûs fractus;
Senectus Ejus mors fermè fuerat ipsa.
Auditu destituebatur
& tamen patulas arrigebat aures,
ut Officijs attenderet Divinis.
Se alloquentibus responsa dabat,
consilia subministrabat sana.
Claras ad se voces, clarissimo compensabat sensu.
Visu deficiens, mentis oculos in Superos elevabat.
In Cathedra Professoralibus cùm non potuerit,
in Cubiculo etiam aliorum ministeriô,
Sacris continuò Lectionibus vacabat.
Qui aliorum fuerat Manuductor,
ipse sine Scipione, sine ductore nō poterat ambulare.
Nunquam tamen
in Via mandatorum DEI cessabat Viator,
certus Cælestis gloriæ Comprehensor.
In tam rugosa senectute
contra neminem visus est frontem caperare.
Sibi recommendatos, quos & noscere non potuit,
Paterno prosequebatur affectu, gratijs cumulabat.
Quas ex tenui proventu sibi comparavit opes,
in Ecclesias, in Academiam,
in aliorum inopiam convertit omnes.
Beneficijs, quæ tenuit benefacere curavit,
etiam eorum, quibus non præfuit,
Liberalissimus Benefactor.

Divæ

Divæ ANNÆ Mettertiæ Templū
Tectô adornavit de suo ære,
auxit decoramentîs internè.
Musæ in suo residentes Parnasso
in DIVAM ANNAM,
& B. JOANNEM CANTIUM,
Benefactorem canite gratiosum.
Ecclesiam Prymykoviensem CHRISTI, suamq; Sponsam,
pretiosâ supellectili honestavit.
Vicinîs ex opposito flammîs
Themidis Domus, Iuridicum exustum Collegium,
quòd ex suis ruderibus surrexit,
ex cineribus evolavit Phænix,
Magnorum Protectorum, & Benefactorum,
fecit singularis liberalitas.
Fecit & KRUPECCIUS Mecænas.
Hæc sunt vocalia in Superos pietatis,
in Ecclesias liberalitatis in Musas Munificentiæ documenta.
Vocaliora non desunt,
quæ Monasteria, quæ Xenodochia,
tacendo loqvuntur.
Hîs Virtutum & Meritorum characteribûs
legibus Libitynæ præscripsit.
Ultimâ Vitæ Periodô,
Sacramentorum munitus Scutô,
firmavit sibi contra Fatorū decreta Præscriptionem.

F Die

Die Mercurij, die Juridicâ,
Vitæ inculpatæ processu
contra mortem processit,
sibi gloriam immortalem evicit,
& illi soli de corpore cessit.
Flos Virorum Meritîs & Virtutibûs fragrantissimus,
ne ampliùs morborum Aquilonibûs infestaretur,
in Cæleste Viridarium meruit transplantari.
Tempus trasplantationi suæ opportunum nactus,
quia vernale, quia Mensem Aprilem.
Potiùs ut Cælesti floreat in Horto,
totus ipsi Majus amænissimus favet,
quia Tua Gratia & Protectio,
*Illustrissime & Reverendissime Domine*,
D. MICHAEL
in Słupow
SZEMBEK,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPE PAPHENSIS,
Suffraganee & Decane Cracoviensis,
Abbas Claræ Tumbæ Meritissime,
Tu Celsissimi ROSARUM Ternionis
Flos pulcherrimus, Decus perfectissimum,
& maximus splendor.
Virtutum Tuarum ac ingentium meritorum odore
tota Patria repleta, honores allecti,
sentiunt ROSAS Tuas non esse sine aculeis,
quibûs à Te reprimis TYARAS altiores;
quæ Tibi altissimæ debentur. Vul-

Vultus Tui Majeſtas digna Imperiô,
ſingulos in amorem trahit, cunctos in veneratione͂,
Literatos Viros in utrumq;.
Superſtiti Canonico Noſtro,
quam gratiam & protectionem præſtabas,
è vivis ſublato eandem teſtaris.
Curas PRÆSULEAS impendis,
eiq; ROSEAM in Cælum efficis viam.
Hôc beneficô favore,
quem Univerſitatis PATRI SENIORI exhibes,
Filios Almæ Studiorum MATRIS
perennis admones gratitudinis.
Tanta Tua gratia exhibita KRVPECCIO,
Nomini Tuo Illuſtriſſimo
totam Univerſitatem obſtringit,
quæ Tibi aliundè jam manet obligatiſſima.
Juſta Ejus facilè triumphat Cauſa,
Cujus Tu Patronus exiſtis,
*Perilluſtris & Reverendiſsime Domine,*
D. DOMINICE LOCHMAN
Utriuſq; Juris Doctor,
Eccleſiarum, Cathedr: Cracov: CANONICE,
Collegiatæ Sandomirienſis DECANE,
Vir Titulîs Magnîs coronande.
Sub Tua Themide,
Cui IVDEX SVRROGATVS præſides,
eſt ſemper Virtuti tutamen.

Patrocinans Tua gratia non desit Ei,
qui in vivis desijt esse.
Tibi Utriusq; Juris Doctori,
Schola Regni ad pēsum grati animi obligabitur.
Qui jam immortali gloriæ cessit,
Voluntatem suam Academicus,
Vobis solis Academicis resignavit,
Ultimarum Tabularum Ejus,
Executores pijssimi, Præstites integerrimi.
*Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine,*
D. M. MARTINE WALESZYNSKI,
S. Th: Doctor & Professor, Collega Major,
Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI,
Scarbimiriensis, & S. MICHAELIS in
Arce Crac: CUSTOS, Montis S. GEORGII
in Scepusio PRÆPOSITE, Cõtubernij Hierosolimitani PROVISOR, Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCURATOR, Librorum per Diœcesim Censor, Almæ Vniversit:
Crac: PROCANCELLARIE,
Primo Tibi suam innocentem concredidit fortunā,
qui Cordi ejus semper adfueras primus.
Tuo Triennali non interrupto Rectoratui
perfectissimè Te præesse videndo,
Tibi, & ad sua Fata elegit subesse.
Successisti Ei in PROCANCELLARIATVM,
Ipse non priùs gloriæ immortali quàm Tibi cessit.
Te Academicô ingeniorum Luminari Majore,
benè censuit suas tenebras sepulchrales illustrandas.
Quem

Quem Te Iuridicum Concollegam habuit,
distingvi à Te suam noluit voluntatem.
*Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine,*
D. M. GASPAR TOPINSKI,
U. J. Doctor & Professor, Ecclesiarum,
Collegiatæ Sanctorum OO. Crac: Custos,
Parochialis S. NICOLAI Præposite.
Secundam & felicem dispositionem se fecisse ratus,
cujus Te secundum moderatorem assignavit.
Ad candorem mentis Tuæ à se perspectum,
Codicillos suos optimè legendos,
& bonam interpretationem habiturôs
minimè dubitavit.
*Clarissime & Excellentissime Domine,*
D. M. STANISLAE KUTLINOWSKI,
U. J. Professor, Ecclesiæ Collegiatæ
S. MICHAELIS in Arce Crac: Decane,
Judiciorum Rectoralium Actuarie.
Vltima vitæ suæ die Te non poterat oblivisci,
qui Tuam quotidianā in se prōptitudinē expertus.
PATRI SENIORI,
obedientiam præstare Tuæ magnæ duxisti gloriæ,
in Te tertio Executore,
suam voluit perfectionari voluntatem.
Age Magne Virorum Ternio,
Vltimis Tabulis accedat perfectio omnis.
Pallet Aurum in Vavellanis Coronis,

quòd ſibi à Fatis excuſſum habeant Vnionem.
Mæſta Studiorum MATER,
ſub Sceptrifera exiſtit Cruce.
Univerſitatis Patrem Seniorem deplorando,
Ordines Academici ſunt ſūmo diſordinati mærore.
Juſtum qui conſiderat dolorem,
pias preces ad Superos fundat,
ut hic qui defletur
gaudijs æviternis fruatur.
Hæc præſcriptio
Fatorum contraria Decretis,
jure Virtutum & Meritorum,
Illi gloriam immortalem
luciſq; perpetuæ poſſeſſionem
evincat.







Lect. 1, Noct. *de* ...
fer. *Duæ Miss.* C. ...
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia*, Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. Crac. Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. ... 25. *Maÿ.*) ... CA. Vesp. à Cap. ...

... SS. Mart ...